

ficativa verbi neutrum formaliter determinat. Vis autem physica conversiva utrumque indifferenter amplectitur; et illud ponit de facto, ad quod determinatur per illam particulam meum, tam quoad implicitum, quam quoad explicitum, prout fuerit in Christo.

XXX. Secunda illa particula meum, ex vi significationis exprimit proprium corpus Christi secundum tres conditiones. Prima, quod nomine corporis mei intelligitur corpus quantum ad partes solidas corporis humani, ut distinguitur a sanguine et humoribus. Licet enim hæc sint corpora physice loquendo, tamen secundum usum communem nomine corporis in animalibus intelligitur id quod est solidum, ut distinguitur ab humoribus: et ita dixit Tridentinum citato loco: « Quod sanguis non ponitur ex vi verborum in consecratione panis, sicut neque corpus in consecratione calicis ex vi verborum ponitur. » Secundo, nomine corporis mei, ex vi verborum intelligitur corpus organicum organizatione humana, quia corpus non organicum non est proprium Christi, nec meum. Ista autem organizatio humana non significatur determinate ex vi verborum, quod sit mortua, vel viva; nam etiam corpus mortuum manet organicum, et dicitur humanum mortuum, non vivum; poterat autem poni corpus mortuum Christi, si consecraretur in triduo mortis.

XXXI. Tertio, per *ly meum* significatur explicite ordo illius corporis ad illud individuum, seu suppositum, in cujus persona pronuntiantur verba (scilicet ad Christum.) Nam *ly meum* explicite et per se est relativum possessionis, et ita dicit ordinem ad possidentem. Cum autem Christus pronuntiaverit illa verba, et in persona ejus pronun-

tientur modo, oportet quod *ly meum* dicat ordinem possessionis ad personam Christi pronuntiantem illa verba. Quæ sit autem ista persona, divina, an creata; cum unione hypostatica, vel sine ista, Non exprimitur; sed sicut ex parte *ly corporis*, significatio illa abstrahit a corpore vivo et mortuo (licet modo in re semper sit vivum) ita *ly meum*, ex parte personæ possidentis, non significat quid sit illa persona (ideoque dixit Concilium citato loco: « Divinitatem poni per concomitantiam, » id est, personam ut divinam) sed solum explicat personam possidentem illud corpus, et sic pronuntiantem verba. Idem proportionaliter debet dici in forma calicis, per *ly sanguinis*, et *ly mei*.

XXXII. Ex quibus deducitur, in consecratione panis poni ex vi verborum corpus organicum, humanum, solidum (seu quoad partes solidas distinctas ab humoribus) proprium Christi; et in consecratione calicis sanguinem humanum proprium Christi, abstrahendo utrobique a vivo et mortuo: per concomitantiam autem ponitur utrobique anima quantum ad formalitatem et gradum animæ; divinitas seu Persona Verbi; unio hypostatica, accidentia absoluta, et alia omnia quæ sunt conjuncta corpori et sanguini, et non significantur verbis explicite. Similiter in consecratione panis ponitur sanguis per concomitantiam, et in consecratione calicis ponitur corpus per concomitantiam, quia ita de facto invenitur illud corpus, et ille sanguis in Christo, et sunt ad invicem conjuncta; in triduo autem mortis Christi, nec per concomitantiam poneretur sanguis cum corpore, neque corpus cum sanguine, quia in re erant separata, et sic propria Christi.

QUÆSTIO LXXVIII.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

I. Tria præcipue resolvit, et tractat S. Thomas in hac quæstione. Primo, convenientiam utriusque formæ, tam panis, quam calicis; primo in communi, deinde in particulari; de utraque forma per tres primos articulos: secundo, agit de virtute effectiva utriusque formæ in ordine ad suum effectum: tertio, de verificatione locutionum, quomodo scilicet, et pro quo instanti verificentur illa verba; cui adjungitur alia difficultas, an una forma expectet prolationem alterius ad habendum suum effectum, vel independentem ab alia sortiatur illum. Et resolvit, quod quælibet forma statim ac profertur habet suum effectum.

DISPUTATIO XXIX.

DE FORMIS CONSECRATIONIS HUIUS SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

Quænam sint essentia verba utriusque formæ, et quid formaliter significant?

I. Suppono tamquam certum, Christum Dominum confecisse hoc sacramentum verbis consecrationis

sicut præcepit discipulis ut facerent, et nunc universa facit Ecclesia. Nam licet aliqui olim senserint Christum Dominum sine verbis confecisse, sed ex sola sua potestate, licet postea verba dixerit, ut nos illis uteremur, sicut de aliquibus refert S. Thomas in hac quæstione articulo primo, tamen nunc illa sententia sustineri non potest, quia Concilium Florentinum in decreto pro Armenis dicit: « Formam hujus sacramenti esse verba, quibus Christus hoc sacramentum confecit. » Et Tridentinum sess. XIII cap. I dicit: « Christum hoc sacramentum instituisse, cum post panis vini benedictionem, se suum corpus et sanguinem illis præbere disertis ac perspicuis verbis testatus est. » Id etiam constat traditione Ecclesiæ, quia in canone missæ dicitur: « Quod accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum. » Quod totum sumitur ex evangelio: et ita communiter patres dicunt, Christum Dominum verbis suis mutasse panem in corpus suum: et in hymno corporis Christi Ecclesia canit: « Verbo carnem efficit. »

II. Dubitatum est autem a quibusdam, an Christus Dominus diversis verbis benedixerit, quam consecraverit; ita quod aliud fuerit benedictio quam consecratio. Nam

aliqui tenent fuisse diversa, ut pater Suarez hic disp. LVIII, sect. II, propter citata verba Concilii Tridentini: « Quod Christus post panis vinique benedictionem se suum corpus discipulis præbere testatus est. » Prius ergo benedixit, et postea verba protulit; quod etiam insinuatur Matthæi xxvi, cum dicitur: *Accipit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum:* ergo prius fuit benedictio, quam prolatio illorum verborum.

III. Oppositum tamen tenet S. Thomas in hoc articulo primo ad primum et catechismus Pii V, titulo de eucharistia, post medium: et antiqui expositores Scripturæ, Hugo cardinalis, Lira, Remigius, Bruno, et alii, quos citat pater Suarez loco citato. Et ratio est, quia illa benedictio non apparet quibus aliis verbis facta sit, quam consecrati- vis: si autem sine verbis benedixit, non apparet qua actione. Neque enim faciendo crucem, sicut modo facimus, Christus benedixit, quia nondum tunc sua passione consecraverat crucem. Deinde, quia illa Christi benedictio fuit efficax ad reddendum panem benedictum; nulla autem efficacior benedictio, quam illa quæ de facto consecrat panem; et ideo Scriptura consecrationem benedictionem appellat I ad Corinth. x: *Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est?* et patres communiter appellant ipsam consecrationem, benedictionem mysticam.

IV. Nec obstant verba Concilii Tridentini, quia non est sensus, post benedictionem factam præbuisse, seu consecrasse panem; sed sensus est, quod testabatur se præbere discipulis corpus et sanguinem post benedictionem, id est, id quod est

corpus et sanguis post benedictionem; similiter evangelistæ in illis verbis: *Benedixit ac fregit deditque discipulis suis, dicens, etc.* non significant nisi concomitantiam illarum actionum simul cum illo dicere; ita quod dicens illa verba: *Hoc est corpus meum*, simul accipiebat panem, et frangebatur, et benedicebat; utique per illa verba quæ simul tunc dicebat seu proferebat.

V. His suppositis quæritur primo, quæ sit forma consecrati- va in hoc sacramento. Respondetur formam hujus sacramenti esse illa determinatâ verba, quibus Christus confecit, et jussit nos facere, et modo utitur Ecclesia, scilicet pro pane: *Hoc est corpus meum*; pro calice: *Hic est calix sanguinis mei, etc.* Reliqua quæ dicuntur in missa, sive extra, non pertinent ad formam sacramenti, sed solum ad preces, vel laudes Dei, vel ad instructionem populi. Conclusio constat ex definitione Conciliorum et Ecclesiæ; nam in Florentino supra citato dicitur: « Quod forma hujus sacramenti sunt verba salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum. » Et in capite Cum Marthæ, de celebratione missarum dicitur: « Christum conficiendo hoc sacramentum, formam expressisse, qua hoc sacramentum conficitur. » Et in capite Utrum sub figura, de consecratione dist. II dicitur: « Credendum est, quod verbis Christi sacramenta conficiuntur. Reliqua omnia, quæ sacerdos dicit, aut chorus cantat, nihil aliud quam laudes, et gratiarum actiones sunt. » Et Augustinus lib. II contra Faustum dicit: « Quod panis noster, et calix, non qualibet, sed certa quadam consecratione mysticus nobis fit. »

VI. Et ratio est, quia in omnibus sacramentis illud accipitur pro forma, quod determinate significat, et determinatam significationem præ-

bet materiæ; et sic debet habere practicam et efficacem significationem ejus, quod faciendum est, quia sacramentum est signum practicum et principalem vim significandi habet a forma: illa autem verba: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, habent plenam et expressam ac determinatam significationem, quod sub illis accidentibus sit corpus Christi, et ex illis colligit Concilium Tridentinum sess. XIII, capite IV, quod fiat conversio substantiæ panis in corpus Christi, quatenus illis verbis significavit Christus hoc quod offerebat discipulis, esse corpus suum: ergo illa tantum verba, quæ hoc significant, sunt conversiva; ergo illa tantum sunt consecrati- va, quia idem est consecrare, et convertere panem in corpus Christi: ergo illa tantum sunt forma hujus sacramenti. Patet consequentia, quia si ista tantum sunt consecrati- va, ista tantum efficiunt sacramentum, si quidem consecratione sacramentum fit: ergo illa solum quæ sunt consecrati- va sunt forma: ergo illa sunt consecrati- va quæ sunt conversiva panis in corpus, et illa sunt conversiva quibus significavit Christus id quod offerebat, esse corpus suum; ex illis enim colligit Concilium dari conversionem.

VII. Ex quo sequitur, omnes alias orationes antecedentes et subsequentes, etiam in ipso canone missæ, non esse de necessitate formæ hujus sacramenti, quia nullæ aliæ orationes, vel verba significant efficaciter, et de facto poni corpus Christi in hoc sacramento; hæc autem verba id expresse significant, ut de se patet; neque Christus Dominus aliis verbis significavit suum corpus hic poni. Licet enim plura alia verba dixerit, sive pertinuerint ad benedictionem, sive ad deprecationem, vel ad aliquid aliud, tamen

nulla alia verba significant de facto et efficaciter hic esse corpus Christi, neque ex aliis verbis collegit Ecclesia converti panem in corpus Christi, atque adeo consecrari et fieri sacramentum, nisi quando testatus est hoc quod offerebat, esse corpus suum; ergo illa verba protulit Christus ut consecrati- va sui corporis; ergo ut formam sacramenti, quia illa sunt forma, quæ consecrant.

VIII. Obijciunt tamen aliqui, quod in liturgia D. Jacobi, aut etiam aliis, quibus Græci usi sunt, post illa verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, adjungitur deprecatio: « Ut mittat Deus Spiritum sanctum super dona sancta, ut superveniens sancta et gloriosa sua præsentia sanctificet et efficiat hunc panem sanctum corpus Christi, etc. » ergo supponitur quod per illa verba: *Hoc est corpus meum*, non est actum et consecratum. Et idem sumitur ex liturgia D. Chrysostomi, et ex D. Clemente libro VIII constitutionum, cap. XII et XVII. Et plures sancti communiter docent, per invocationem vel orationem sacerdotis sanctificari panem; illa autem verba: *Hoc est corpus meum*, non sunt deprecativa, nec invocati- va, sed simpliciter significant hoc esse corpus Christi.

IX. Respondetur, ita haberi in illis liturgiis; nam eo ritu conficere sacramentum, seu celebrare, confessi sunt Græci in Concilio Florentino licet in sessione XXV dixerint confici sacramentum solis verbis Christi; nec ipsi potuerunt intelligere quod illis verbis deprecativis consecratio fieret, quia illis nondum significatur fieri, sed invocatur Spiritus sanctus ut fiat: cum autem postea in illis liturgiis non ponantur verba de facto significantia hunc effectum, sed ante sint posita, dicendo: *Hoc est corpus meum*, oportet

dicere, quod illa missio Spiritus sancti, vel sanctificatio ejus petitur, non ut fiat simpliciter corpus Christi (quia jam factum supponitur) sed ut fiat nobis fructuosum et sanctum; ita quod proficiat nobis, et non manducetur in iudicium: hoc enim est fieri sacramentum nobis sanctum. Et ita tandem ipsæmet liturgiæ id explicant. Nam in liturgia D. Jacobi dicitur, quod: « Sanctificet hæc dona, etc. ut sint nobis, et his sumentibus in remissionem peccatorum: » et in liturgia Chrysostomi: « Ut fiat communicantibus in emendationem animæ. » Et ita explicat similes deprecationes S. Thomas infra quæst. LXXXII, art. IV ad septimum et octavum. Quod vero patres communiter dicunt, per invocationem vel precem sacerdotis consecrari panem, nomine invocationis intelligitur tota missa, quæ generali vocabulo appellari solet oratio, seu invocatio (Græcis εὐχή) et est perinde ac si diceretur, consecrari panem in missa a sacerdote: vel si ipsa forma sacramenti appellatur invocatio et oratio, non intelligitur quod sit forma deprecativa, sed quod operetur in virtute Christi, non in virtute propria sacerdotis, quasi sit invocata.

X. Secundo inquires, an omnia verba, quæ dicuntur in consecratione panis et calicis sint de essentia formæ, aut quænam tandem verba sint essentialiter formæ sacramenti. Respondetur in consecratione panis solum per se esse difficultatem, an illa particula enim sit essentialis formæ; et quare non addantur illa verba: *Quod pro vobis tradetur*, quæ ponit Lucas cap. XXII, et in multis liturgiis Græcorum ponuntur. Similiter in forma calicis est major difficultas, an illa verba: *Qui pro vobis effundetur, etc.* quæ secundum usum Ecclesiæ proferuntur in forma calicis, sint de essentia ipsius formæ;

ita quod si non proferantur, non consecratur sanguis.

XI. Quod ergo attinet ad formam consecrationis panis, respondetur essentialia ipsius verba esse solum illa: *Hoc est corpus meum*; particula vero enim, quæ modo ponitur ab Ecclesia, non est de essentia formæ, sed tantum adjicitur ad continuanda verba formæ cum verbis canonis antecedentibus. Esset tamen peccatum grave illam advertenter omittere; sed si de facto omittatur, non est repetenda forma. Illa autem verba: *Quod pro vobis tradetur*, non sunt de essentia formæ consecrationis panis, licet in aliquibus liturgiis Græcorum adhibeantur. Tum hoc constat ex usu et praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ sine dubio rite et recte consecrat, nec tamen illis verbis utitur. Sigillatim autem descendendo, constat illam particulam enim, non esse de essentia formæ, quia Christus illa non est usus, ut constat ex textu evangelii. Unde sacerdos proferens illam, non profert eam in persona Christi, nec tamquam verba salvatoris; et sic illa non influit ad conficiendum sacramentum: sed solum profertur recitative, et tamquam addita ab Ecclesia, ut jungatur cum clausulis præcedentibus. Quod vero sit peccatum mortale illam advertenter omittere, tenent plures auctores, quos citat et sequitur Suarez hic disput. LIX, sectione prima; alii vero tenent non esse peccatum mortale ex genere suo, nisi adsit contemptus, quia est valde levis materia, nec pertinens ad substantiam significationis sacramentalis, quia sine tali particula ponitur quidquid necessarium est, ut significetur efficacia formæ ad convertendum panem in corpus Christi.

XII. Nihilominus tamen, licet particula illa per se sola videatur aliquid leve, tamen motivum Ecclesiæ

ad ponendam talem particulam non est leve, sed gravissimum; ejusque omisio de se inducit peccatum mortale: neque enim est verisimile Ecclesiam aliquid minimum voluisse apponere in verbis formæ, quod a Christo positum non fuerat, nisi gravissimis de causis adducta. Judicavit enim oportere ad magis exprimentam veritatem et efficaciam formæ, verba illa Christi explicare per modum causalis; quasi voluerit Christus dicere: *Accipite et comedite, quia hoc est corpus meum*. Sic enim plenius exprimitur non esse cibum communem, quia est corpus ipsius; ergo scienter prætermittere istam expressionem Ecclesiæ, non caret gravi peccato et contemptu in re tam seria ac sacra.

XIII. Quod vero attinet ad verba: *Quod pro vobis tradetur*, quæ ponit Paulus I, ad Corinth. XI, et Lucas cap. XXII, dicimus non esse necessaria, et essentialia formæ, quia per ly corpus meum, etiam omissis illis vocibus, sufficienter verificatur hoc quod in sacramento tradit Christus, esse ejus corpus; ergo statim ponitur ibi corpus Christi; ergo non amplius requiritur ad essentialem significationem formæ. Omnes consequentiæ manifestæ sunt, quia si verificatur sine illis vocibus illud esse corpus Christi: ergo in re ibi ponitur corpus Christi, etiam non prolatis illis vocibus: sed posito corpus Christi est sacramentum, ergo et forma sacramenti. Non ergo potest dici, licet Christus illas voces protulerit, quod illas voluerit esse de necessitate formæ; sed dixit illas ad certificandum discipulos de quo corpore loquebatur, nempe de illo suo, quod morti erat tradendum. Unde etiam Ecclesia quæ ex traditione apostolica suscepit illam formam, intellexit non esse necessarias ad conficiendum sacramentum; ideoque Ecclesia Romana non utitur

illis, ut significet non esse de necessitate et essentia formæ, et tamen aliqui Græcorum in suis liturgiis illas habent; non tamquam essentialia formæ (quia sine illis verificatur, et perficitur conversio) sed ut expriment proprietatem corporis Christi, sicut ipse Christus ad idem exprimentum illas apposuit: unde etiam constat non esse obligationem præcepti illas apponere, quia de facto Ecclesia Romana omittit.

XIV. An vero sit præceptum, saltem in Ecclesia Latina, non apponendi illas voces, ita quod peccaret sacerdos, qui illas apponeret, respondet pater Suarez disputatione LIX citata hoc per se non esse malum, licet sit malum addere ut necessarias consecrationi. Sed tamen existimo, non solum peccare mortaliter, qui adderet tamquam necessarias consecrationi (sic enim suspectus redderetur de irreverentia contra Ecclesiam Romanam in usu et forma sacramentorum) sed etiam qui sine tali animo, solum ex levitate, vel libertate, aut alio motivo advertenter adderet; tum, quia in re valde gravi (qualis est forma sacramenti) contraveniret usui universalis Ecclesiæ; tum, propter scandalum eorum, qui viderent introduci novum ritum in forma sacramenti; tum, quia licet non sit speciale præceptum non addendi illas voces, est tamen generale servandi formam, et ritum missalis reformati, ut jacet in omnibus et per omnia, ut patet ex quadam determinatione sacre congregationis rituum 12, novembris 1605. Et videri potest Nicolaus Garcia de beneficiis part. III, cap. I, num. CLVI, ubi dicit, quod qui juxta bullam Pii V debent uti missalis Romano reformato, ex declaratione sacre congregationis tenentur sub peccato mortali non uti alio missali, quam reformato. Religiosi autem, qui ex suis privilegiis alio missali